

secum ineundum sollicitabant. Ex eo complura ad Venetos commoda obventura affirmabat: veterem Sabaudiae Ducum in Rempublicam benevolentiam, atque observantiam commemorabat: quæ bello adversus Sfortiadas egissent, publica monumenta testari; pro Venetis arma sumpsisse; in Insubres impetum fecisse; lustratas Vercellis Reipublicæ copias fuisse; postquam priscum obtinuerit imperium, nil nisi magnum, atque egregium Emanuele cogitare. Quatuor potissimum ad tuendum, atque propagandum imperium, concordiam, arma, comatus, pecuniam requiri: quæ ut minime Reipublicæ desint; attamen ad commune bonum augendum arctioris necessitudinis jura ultro deferre; frumenta ex uberrima Subalpina regione suppeditaturum: iter a Nicæa in Pedemontanos meditari, ut inde mercimonia ex Hispania devectora, ac per Eridanum, qui in suis finibus ortus, in sinum, ac veluti ulnas Venetæ Reipublicæ longum post lapsum conquiescit, in Venetiarum urbem confluerent. Ad hæc quinque supra viginti millia selectorum peditum, octingentos cataphractos equites, leviores mille, ejusdem arbitrio præstaturum. Mox ad Genevam oratione transgressus, quantum exigua urbs nimio ausu se extulerit, exponit. Quatuor ac viginti annorum intervallo, quo se ex Allobrogum dominatu eripuerit, vix emenso, libertatis jus adeptam profiteri: eam pestem excindere, neque diutius intollerandam audaciam pati nolle: nullo ferme agro circumseptam, nullo Helvetiorum fœdere munitam, quos sibi ipse adjunxerit, perdomitu baud difficilem fore: itaque aut benignitate, atque humanitate ad se allicere, religionis causa Pontifici permissa, aut armis oppugnare statuisse: ea in re sibi Pontificem non defuturum pro certo habere, a quo etiam ad id munus deposceretur, ut Concilii decretis obtemperare renuentes, vi adhibita, cogeret: qui sensus iis in rebus Senatus sit petere; opem, atque auxilium flagitare. Allobrogum Ducis postulatis Patres Senatusconsulto respondendum censuere. Ingentes de propenso in Rempublicam studio, atque egregia, sæpiusque perspecta voluntate Sabauda haberi gratias: ceterum quod ad nova ineunda fœdera attineret, minime e re communi esse, arbitrari, pace diutius inter potentissimos Reges sancita, suspicionum semina serere; nihil præstantius animorum conjunctio-

H. Maurceni T. II.

L

ne

Ducis Allobrogum con-
siliū de
Geneva op-
pugnanda.
Senatus re-
sponsum.